

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Hoc ita breve delineamentum & idea est miseræ, in quam per tristem Protoplastorum lapsum coniecti sumus.

Quilibet hic examinet se, utrum & ipse à grege Christi aberraverit, per varia peccata & injustitiam, ut ovi perdita aut drachma amissa comparari possit?

Sanè in mundi his reliquiis ita res cadit, ut juxta Christi verba, non unus de centum amittatur, & nonaginta novem conserventur: sed cum nonaginta novem disperduntur, vix unus servatur, ut sat causæ habeamus querendi, Defecit sanctus. Psal. 12. v. 1.

Ecclesia Christi est pusillus grex, respectu filiorum hujus seculi, Luc. c. 12. v. 32. in eo tamen multæ oves perditæ reperiuntur. Hæc abscondit se in *cauponâ*, cum potentibus ad bibendum vinum, Es. cap. 5. vers. 22. Ista in *lupanas* sese abdidit, ut vir Israëlita cum Madianitide, Num. cap. 25. vers. 6. seqq. sive *intra vepres calumniarum*, uti Doëg, cujus lingua, sicut novacula acuta fecit dolum, Psalm. 52. vers. 4. & Abimelechum Sacerdotem ita traduxit apud Saulem, ut capite plecteretur, 1. Sam. 22. vers. 8. 9. Multæ versantur *intra septa securitatis*, velut Sodomitæ, quibus Lothus de interitu loquens, quasi ludens videbatur, Gen. c. 19. v. 14. sive posuerunt mendacium spem suam, Esa. cap. 28. vers. 15. & putant, quando ore dicunt Domine, Domine, Matth. 7. vers. 11. se Deum fraudulentis suis decepturum, ut hominem. Job. cap. 13. vers. 9. & qui plures ejusmodi secessus sunt, in quibus multi delitescunt, & denuò gregem relinqvunt, postquam à Christo restituti sunt. Hi in statu periculosissimo versantur, & facile à lupo infernali dila-

niari possunt. Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis &c. Hebr. 10. v. 26. 27.

Suspitemus proinde cum Davide: Erravi, sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus, Psal. 119. v. 176.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, *Χριστογνωσίαν*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis in præfente Evangelio considerandus proponitur:

I. *Tanquam peccatorum susceptor*, non enim ratione ejus dici potest: Quod moritur, moriatur, & quod succiditur succidatur, Zach. 11. v. 9. sed ipse oviculam perditam inlequitur, eamque tamdiu investigat, donec inveniat eam.

Hæc magna est *φιλανθρωπία*. Imperator Titus, ob magnam humanitatem, *delitiæ generis humani*, item *amor orbis*, appellatus est.

Imperator Trajanus in Urbe circumivit, invisendo infirmos, quod & Hadrianus & Gratianus fecerunt; Sed de Christo multo æquius affirmare possumus, quod sit gratiosissimus filiorum hominum, Psal. 45. v. 3. gaudium omni populo, Luc. c. 2. v. 10. imò desiderium omnium gentium, Hagg. 2. v. 8. Nullus Gratianus ipsi par fuit. Ab ejus enim plenitudine accipimus omnes *gratiam pro gratiâ*, Joh. c. 1. v. 16.

In principio cum Protoplasti in peccata incidissent, insequabatur eosdem, & dicebat: Adam ubi es? Gen. 3. v. 9. *In diebus carnis suæ* pertransiit Judæam & Galilæam, & tanto studio quæsit, quod perierat, ut etiam sudorem sanguineum emiserit,

Luc. 22. v. 44. Quærit oves perditas in omnibus iudiciis. Coram iudicio Dei quæsitivas illas, & propterea in tantas angustias incidit, ut etiam angelus de cælo ipsum confortare teneretur, Luc. 22. v. 43. Quæsitivas eadem coram Consistorio Herodis, Luc. 23. v. 6. Quæsitivas quoque eas coram prætorio Pilati, Matth. 27. v. 11. inò in crucem ascendit, attollens caput & oculos, quo oviculas amissas, eo commodius investigare posset, & extendit brachia sua, ut omnes ad se traheret. Joh. 12. v. 32. 33. & ex ore leonis & urfi infernalis eriperet, juxta typum tritavi sui Davidis, 1. Sam. 17. v. 34.

Adhuc hodie deperditas oves omni studio indagat, per ministerium pastorum suorum, qui sine intermissione clamant: Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cœlorum, Matth. 3. v. 2. verrunt domum scopis legis, accenduntque lucernam, lucernam scilicet Evangelii, quæ lacet in loco caliginoso, 1. Petr. 1. v. 19. increpant, exhortantur, arguunt, instantes opportune, importune, 2. Tim. 4. v. 2. utrum peccatores veritatem cognoscere, & respicere velint à laqueis D. aboli, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. 26.

Agnoscamus hoc grato animo, & quia Christus tanto studio investigat nos, ad frugem sine morâ redeamus, sic nos in humeros suos imponet, gaudens & portabit in ovile æterna gloriæ, ubi non amplius in devia aberrabimus, sed semper cum Domino erimus, 1. Thess. 4. v. 17.

II. *Tanquam murmuratorum reprehensor.* Quia enim cum publicanis & peccatoribus conversabatur, inde apprehendebant Pharisei, personam ipsius calumniandi, dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat eum illis, q. d. Graculus graculo

assidet, similis simili gaudet: quod si magnus ille Propheta esset, quem Deus populo suo mittendum promisit, cum probis & honestis quoque conversaretur, nec pice hæc inquinaretur.

Hanc imputationem Christus redarguendam censet, propterea eleganti Apologiam utitur, quæ sub parabolâ ovis perditæ & drachmæ amissæ demonstrat, se cum in finem in mundum venisse, ut peccatores ad pœnitentiam vocet, & salvet, quod perierat, Matth. 18. v. 11.

Ejusmodi *murmurantes* adhuc hodie occurrunt, quibus Deus nihil ad placitum facere potest,

1. *In cœli gubernatione:* huic nimium friget, illi nimium calet, sole lucente, optant pluvias, pluviis stillantibus, optant Phœbum, sic semper aliquid habent, quod carpant. Sed nihil murmurationibus hisce efficitur. Siquidem Deus, ut ens liberrimum pro lubitu suo agit, optimo modo, sapientiæ ejus non est numerus, Psalm. 147. v. 5. & opera ejus perfecta sunt, omnes viæ ejus iudicia, Deut. 32. v. 4.

2. *In bonorum distributione,* quod res secundas & adversas non distribuit juxta merita hominum, sed justis mala proveniunt, quasi opera egissent impiorum, & impiis talia eveniunt, quasi justorum facta habeant, Eccles. cap. 8. vers. 14. Hæc querela antiquissima est, quæ etiam sancti Dei homines quandoque abusi sunt. Sic Hiob: Ego quando recordatus fuero pertimesco. Hiob 21 v. 6. 15. Similiter Asaph conqueritur, Psalm. 73. v. 2. seqq. Jeremias, cap. 12. v. 1. seqq.

Idem adhuc hodie fit: Sed vana murmuratio est. Sicut enim paupertas non damnat,

damnat, sic nec divitiæ salvant, sed divites in fide Deus elegit, Jac. cap. v. 5. Ideò inquit Salomo: Melior est pauper, qui ambulat. Prov. 29. v. 1. & David: Melius est modicum iusto, super divitiis peccatorum multas, Psal. 37. v. 16.

3. In quavis conditione, dum multi fortunâ sua contenti non sunt, sed lautiores optant, juxta illud Horatii:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:

Sic filii hujus seculi murmurant adversus Deum, & justificatur sapientia ab omnibus filiis suis. Luc. cap. 7. vers. 35. Sed tantum peccatum est, ut ex Israëlitis propterea nemo Palaestinam ingressus fuerit, præter Caleb & Josuam. Num. 14. vers. 30. Hinc Paulus ait: Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore, 1. Cor. 10. vers. 10.

III. *Tanquam poenitentia commendator.* Inquit enim: Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo, super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis.

Hæc præclara ratio est, quæ nos ad poenitentiam stimulare debet, quia audimus, eam ipsam poenitentiam in cælo excitari.

Gaudet enim super poenitentiam nostram:

1. *Deus trinus.* Deus pater expandit totâ die manum suam, Esa. 65. v. 2. & annunciat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant, Act. 17. v. 30. Quando igitur peccator hanc insignem Dei gratiam agnoscit, & poenitentiam agit, obedientiam suam Deum ad gaudium commovet, ut qui non vult, aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. 2. Petr. cap. 3. v. 9.

Deus filius, nostri causâ vitam sibi accerbam fecit, & vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est, propter scelera nostra: & livore ejus sanati sumus. Esa. 53. v. 4. Quando igitur peccator respicit, & verâ fide meritum ejus sibi applicat, lætatur optimus Servator, quod non frustra laboraverit, & vanè fortitudinem suam consumserit. Esa. 49. v. 4.

Deus Spiritus sanctus, regenerat nos in baptismo, Tit. cap. 3. v. 5. per incorruptibile semen verbi Dei vivi, 1. Petr. 1. v. 23. & scribit legem Dei in cordibus nostris, Jer. cap. 31. vers. 33. Ut probare possimus, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta, Rom. cap. 12. vers. 2. Videns igitur, fidelitatem suam in nobis non frustra adhiberi, lætatur afficitur, & in corde ejusmodi templum suum habet, inquit: hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam, Pl. 132. v. 14.

2. *Angelorum chorus*, poenitentiam enim agentes fidem habemus cum Deo, Rom. cap. 5. vers. 1. hinc gaudio exultant Angeli. Sunt enim Evangelizantes pacem, Esa. cap. 52. v. 7. Propterea in natiuitate Servatoris cecinerunt: Pax in terris, Luc. 2. v. 14. Quando ad frugem redimus, lætantur, quod pro nobis non frustra excubias agant. Sunt enim administratorii spiritus, in salutem emissi, propter eos, qui hereditatem capient salutis, Hebr. c. 1. v. ult. Lætantur quoque quod communio sanctorum augeatur, & ipsorum suum majori frequentia insonari possint, Esa. 6. v. 3.

3. *Electorum cætus*, cum in militante, tum in triumphante Ecclesiâ. In

militante Ecclesiâ voluptate afficiuntur, fideles ecclesiæ ministri, tanquàm angeli pacis, Esa. 33. vers. 7. quando deprehendunt, quod labor suus non sit inanis in Domino, 1. Cor. 15. v. ult. sed velociter currat sermo suus, Psal. 147. v. 15. faciens fructum, aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud verò tingecuplum, Matth. cap. 13. v. 23. Ovant omnes pii Christiani, quando cernunt, gregem pusillum Electorum indies augeri, eosq; certatim è Diaboli regno, rictuq; liberari.

Quantâ verò lætitiâ triumphare censeatis, Beatum electorum chorum in cœlis, quando anima respiciens, corporeis vinculis exuta, ab angelis in Abrahæ sinum deportatur, Luc. cap. 16. vers. 22. Hanc sanè oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis illa adscendit. 1. Cor. 2. v. 9.

Largiatur eandem nobis ex gratiâ,
Deus Opt. Max. per Christum,
Amen!

Dominica IV. post Trinitatis.

Evangelium, Luc. 6. v. 36. --- 42.

EXORDIUM.

IN aulâ Ahasveri, peculiaris *custos gynæcæi* constitutus fuit, nomine Hegai, sub cujus manum quoque formosa Esther, assumpta est. Et Hegai festinavit cum emundatione ejus, & ut daret ei partes ejus, & septem puellas elegantes daret ei de domo Regis, & habitare fecit eam, & puellas ejus in bono loco Gynæcæi, donec tempus adveniret, ut intraret ad Regem, Esther. 2. v. 8.

Hæc historia elegantem *Allegoriam* nobis subministrat.

Esther hîc imago est omnium Christianorum in his terris: Quemadmodum enim illa patre & matre orba erat, nihilominus tamen Deus benignè eandem respiciebat, & flecebat cor Ahasveri, ut ipsam regiâ coronâ ornaret, & loco superbiensis Vasthi in Reginam eligeret: sic & nos quasi pupilli facti sumus, absque patre: matres nostræ, quasi viduæ, Thren.

cap. 5. vers. 3. Sed Deus in gratiam nos assumpsit, & ad tantam dignitatem provevit, ut jam simus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9. Quamdiu enim in hoc mundo vivimus, coronat nos ut scuto bonæ voluntatis, Psal. 5. v. ult. Quando verò beate in Domino moriemur, imponet nobis coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. & cum eo regnaturi simus mille annos, h. e. in æternum. Apoc. 20. v. 4.

Hoc *Christo acceptum ferre* debemus, qui verus est custos hominum & Hegai, Job. 7. vers. 20. qui etiam festinat cum emundatione nostrâ, dum sanguine suo nos lavit, vestimentisque salutis ita induit, ut quasi sponsus sacerdotali ornatu, & quasi sponsa ornata monilibus suis, exultare possimus, Esa. 61. v. 10. Magnum ad hoc adjumentum contulit, variis præceptis salutaribus, & vitæ regulis, quas nobis

in